



CAPUT XXV.

Expelluntur Demones à regione Gerasenorum.

Matth. 8. n. 28. Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes daemonia de monumentis exeuntes, saevi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.

VERSIONES.

Syriacus. Quum venisset ad ulteriorem ripam regionem Godaræorum, occurrerunt ei duo daemoniaci, exeuntes de domo, sepulchrorum, mali admodum. D. Hilarius. Periculosi nimis. Theoph. Euth. Saevi supra modum.

ALTER TEXTUS.

Matth. 8. n. 1. Venierunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. Ibid. num. 2. Et exeunti ei de navi statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. Ibid. num. 3. Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare. Ibid. num. 4. Quoniam saepe compedibus, & catenis vincitus dirupisset catenas, & compedes commiuisset, & nemo poterat eum domare. Ibid. num. 5. Et semper die, ac nocte in monumentis, & in montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus. Luc. 8. n. 26. Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galileam.

Ibid. num. 2. 7. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat daemoneum jam à temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumento.

EXPOSITIO.

DATA tempestate, transacto mari, devenerunt discipuli cum Christo ad ulteriorem ripam, scilicet in regionem Gerasenorum, sic dicta à civitate ibi insigni Gerasa, quæ etiam, ut vult D. Hieronymus lib. de locis, dicebatur Gargasa: at civitates esse distinctas aperte patet ex Iosepho lib. 5. de Bello Judaico c. 5. Quæ duæ civitates erant sitæ in regione opposita Galilææ trans Iordanem, & ab illa prima civitate nobilissima, tota regio nomen accepit, ut notant Victor Antiochenus, Beda, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonaventura, Occurrerunt ei duo habentes daemoneum. Sciatim, ut Dominus egressus est à navi, ut notat D. Marcus ad eum convenerunt daemoniaci, Matthæus scribit: Occurrunt ei duo, Marcus, & Lucas de uno tantum faciunt mentionem: Vir quidam. Quæ omnia optimè conveniunt: nam ut ait D. Augustinus lib. 2. de consensu Evangel. cap. 24. Marcus, & Lucas faciunt mentionem de illo uno, qui erat famosior, & clarior, Probabilis Chryostomus homil. 29. ait, quod duo daemoniaci occurrerunt ad Dominum, ut scribit Matthæus, tamen Marcus, & Lucas faciunt mentionem de eo qui erat crudelior, & saevior. Et hac de causa, ut mihi videtur, in illo daemoniaco multas circumstantias narrat Marcus, & Lucas verbi gratia, quod non induebatur vestimento, quod concidebat se lapidibus: quas circumstantias in duobus irreptitiis tacet D. Matthæus. De Monumentis exeuntes. Sepulchra mortuorum apud Iudæos erant extra civitatem: & isti non morabantur in urbe, sed in montibus, & monumentis, ut scribit D. Marcus, saevi nimis, quia transeuntes per viam invadebant, ut occiderent. Et ideo Syriacus legit, mali, Hilarius, periculosi, quia isti suis damnis multa pericula inferebant, ut nemo posset transire per viam illam, quin ei valde molesti essent suo furioso impetu. Cur autem Dæmon dicatur spiritu immundus, jam explicavi supra cap. 2. quæst. 3.

QUESTIO I.

Quare daemoniaci Christo Domino occurrant, & eum adorent?

ALDE mirum, quod isti daemoniaci ad Christum veniant. Quia mihi est certum, quod hoc fecerint, non ut ducti proprio arbitrio, sed ut à daemone impulsu. Scilicet & Christum adorant, cum tamen daemones

Abulens.

Chrysol.

Testimoniis divinitatis. Athanas.

Ambros.

Vbi vires humana desunt, & pietas divina succurrit.

Ex timore cognoscitur Dominus.

Abulens.

Oratio mult. se in oratione exaudiat, ideo Dæmon Christum adorare impetrat.

Chrysol.

daemoneum sit proprium ingenium, à Redemptore fugere, siquidem timere poterant, per ipsum esse ab illis hominibus expellendos, ut actualiter factum est. Et ideo dicunt aliqui cum Abulenti quæst. 130. quod Dæmonibus non fuit permissum, ut Christum à longè cognoscerent, sed de more suo occurrerunt transeuntibus per viam, & cum proximis accederent, Christum agnovērunt, & ipsum adorarunt. Sed hoc non cohæret cum textu Marci. Ait de illo arreptitio, quod videns IESUM à longè, cucurrit, & adoravit eum.

4. Respondeo primò ad quæstionem, quod Dæmones compulsi sunt virtute Christi, ad ipsum venire, ut notat D. Chrysológus citandus in fine hujus quæstionis. Et ideo fortasse ipsi clamaverunt: Venisti torquere nos? quia sentiebant, quod ab ipso adducebantur, ut ab hominibus exirent. Christum autem cõgît Dæmones ad se venire, Primo, ut Diaboli invitit Christum adorantes publicum facerent testimonium suæ divinitatis, ac majestatis. Quo argumento utitur D. Athanasius lib. de Incarnatione Christi, & corporali ejus adventu. Secundo, ad ostendendam suam potentiam. Nam sicut in mari, saeviente tempestate, timentibus cunctis, ipse solus securus dormiebat, ut ait Ambrosius, & sua potentia mare tranquillum reddidit, ita, cum omnes ab illa via fugerent, ut ait D. Matthæus, voluit Christus per illam securus incedere, ut ita Dæmones ad se venirent, & efficacia divinæ potestatis ostenderetur. Tertio: Quia sicut in mari, omni humana deficiente industria, cum omnes tempestate maximè premerentur, eam fugavit, ita etiam cum tota illa regio maximè Dæmonibus vexaretur, ut ait D. Marcus de illo arreptitio, quod nemo eum ligare, neque domare poterat, voluit Dominus transfricare, ad illamque appellere regionem, atque Dæmones ad se invitos trahere, ut tota illa provincia, ac duo illi miseri daemoniaci liberarentur, quia ubi vires humanæ deficiunt, frequenter ars divina succurrit.

5. Secundo principaliter ad quæstionem. Hoc Dæmones præstiterunt timore agitati: Nam ubi Dominus ad illam regionem accedit, agnovērunt Dæmones, se ipsos Christum non posse latere, & à corporibus illis esse ejiciendos: ideo obviam facti, precibus, & adoratione ipsum præoccupate voluerunt, ut facit servus erga Dominum, quando ejus flagellum evadere cupit. Et ideo daemoneus, ut referunt Marcus, & Lucas, dicebat: Obsecro te, ne me torqueas.

6. Tertio, Abulensis quæst. 104. dans rationem, ob quam Dominus compulsi Dæmones ad se venire, & ipsum adorare, sic ait: Fuit hoc, ut Christus exaudiret petitionem Dæmonis: nam volebat petere, ne eum torqueret, & tamen humilians Oratio mult. se in oratione exaudiat, ideo Dæmon Christum adorare impetrat. Hæc ratio non est litteralis, sed multum moralis, ad vim orationis exaggerandam; nam illa Dæmonis petitio meritoria esse non poterat, ut ipse Abulensis fatetur, erat enim coacta, à spiritu obstinato, in peccato mortali, ac extra viam degente. Cir autem Dominus ejus petitioni, Mite nos in porcos, voluit annuere; infra suo loco dicam.

7. Quarto: D. Petrus Chrysológus serm. 16. sic ait. Attracti sunt invitit, non sua sponte currentes. Sylveira in Evang. Tom. 11.

Denique ad præsentiam Christi homines exeuntes de monumentis, & vice versa captivos ferunt, à quibus fuerant antea captivati. Sicut enim fœnis, quorum crucibus torquebantur. Apertam ad sententiam, à quibus adducti fuerant jam sepulchris. Dæmones illos homines tenebant, tanquam captivos, & ut domini erant in eorum possessione. At ubi Christus ingressus est regionem illam, homo liber evasit, & Dæmones in captivitatem sunt reducti, atque efficacia Domini attracti, licet invitit, ut pro injustis cruciatibus in hominem inflicti subeant sententiam, & dent pœnas.

QUESTIO II.

Quare hi Energumeni in sepulchris morabantur?

REATI hujus rei literalis ea est, quam tradit Abulensis quæst. 98. quod isti daemoniaci, ut constat ex Marco & Luca vestes dilacerabant, ideo non morabantur in urbe, nec in domo, sed per montes vagabantur. Et inde se ad sepulchra recipiebant; nam apud Iudæos monumenta erant extra urbem in agris & desertis locis, Sic Saul, & filii ejus sepulti sunt in nemore jubes 1. Reg. 31. num. 13. Et 1. Par. 10. num. 12. & 2. Reg. 31. num. 13. Sic & Christus Dominus in horto sepultus est, Joann. 19. n. 41. Et monumenta Iudæorum erant eo modo fabricata, ut posset quis habitare in eis. Nam erant veluti quædam domus excisæ in rupibus vel lapidibus circumseptæ, quæ suis portis claudebantur, ac multos recipere poterant. Quod patet ex Christi sepulchro, in quod Petrus, & Joannes intraverunt, Joann. 20. n. 6. & tres illæ mulieres portantes aromata ingressæ sunt Luc. 24. num. 23. Et foris ad monumentum stabat Maria plorans Joann. 20. n. 11. Etant ergo illa sepulchra veluti domus quædam, in quibus, ut sepelirentur, multi erant pro divitis mortuis loculi: Ergo isti Dæmones ob suam saevitiam in desertis locis ab hominum commercio separati, illis in monumentis manebant.

9. Secundò, Victor Antiochenus in 5. Marc. sic ait: Quorsum daemones sepulchris versantur? Quod rudi plebi execrandum, planeque impium dogma persuadent, nempe è demortuorum animas in daemones transformari. Quæ opinio procul ab sit à cujusvis hominis mente, & cogitatione. Eandem rationem reddunt D. Chryostomus homil. 29. Euthymius, Theophylactus. Hunc errorem Tertulliano tribuit D. Augustinus lib. de Hæresi cap. 8. Non autem Tertulliano, sed Tertullianistis tribuendum, tenet Pamelius paradoxo 11. Tam impius, & nefandus hostis est Dæmon, ut demortuorum animas intenter vili pendere, ac dedecorare, turpem, atque impiam circa eas opinionem disseminans, quod scilicet in Dæmones transferantur, dogma certè valde impium.

10. Tertio D. Paschasius lib. 5. in Matth. Ascende ait, quæ saevitia Dæmoniorum, quæ furor, aut qua rabies erga humanum genus, dum ferre nequeunt, mori homines, qui vivos gestium sepelire.



Inimicus sepe sibi dat nocementum, ut a se noceat.

Et se ipsos sepulchris mandant, ut homines redigant in sepulchra. Diabolus olim in Paradisum est ingressus, habitabat in idolis, in nemoribus, floribus, arboribusque constitit; nunc vero elegit mortuorum sepulchra: Tanta est in hominem malignitas, ac savitia ejus, ut in fetido sepulchro Diabolus habitare non horreat, dummodo in ipso ergastulo contineat hominem, ut ibi percutiat, eique noceat. Crudelis hostis, qui ut det homini nocementum, sui damnum minime respuit.

11. Paschal.

Quarto idem D. Paschasius, Digna quidem, ita, vitiorum conditio, ne qui caelo praesidere volunt, pasceantur cadaveribus, sagineantur putredine, deliciantur fetore, quibus tota voluptas est, vitium deservit. Cur non inter flores, & amena prata, vel inter aromata, & pigmentaria, sed inter arida, ac horrenda mortuorum ossa Satanas sibi eligit locum; Ecce misera conditio eorum: qui vitium deserviunt, & Diabolo tenentur, qui cum possint in caelo regnare, dum tamen vitium indulgent, dilacerantes vestimenta, ut scribit Marcus, persuasionibus Satanae acquiescunt, & quamvis adhuc vivi, jam inter fetores, squalores, ac angustias mortis degunt, & dum Satanae potius, quam Deo serviunt, inter arumnas, ac pressuras perditionis comprimuntur.

12. Abulens.

Quinto: Abulensis quast. 99. Daemones, suam volebant in hos energumenos exercere ferocitatem; ideoque omnia ad crudelitatem pertinencia exercebant in eos, scilicet facientes nudos incedere, ut testatur Lucas, & quod unus eorum se lapidibus concideret, ut ait Marcus: & quia etiam est quaedam feritas, ac inhumanitas habitare in humanis sepulchris, faciebant, ut in monumentis morarentur. D. Cyrillus. Quod autem nudus petebat defunctorum sepulchra, demoniae ferocitatis erat indicium. Crudelitate, savitiaeque nulla inimicus noster satiat, sed nos undique comprimere cupit. Haec ratio, & prima mihi videntur maxime literales.

13. Palat. Sapien. t.

Sexto: Palatius quandam excogitavit rationem deductam ex duobus locis Sapientiae 1. num. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec latetur in perditione vivorum. Sanabiles fecit nationes orbis terrarum. Et 2. num. 14. Invidia diaboli, mors introivit in orbem terrarum. Cum ergo duo sint, qui habent principatum, Deus, & Daemon, ad Deum supremum principem spectat vita, & terra vivorum. Vnde Dominus dicit Sadducais: Non est Deus mortuorum, sed vivorum, Matth. 22. num. 32. Ad tyrannum autem Diabolus spectat mors, infernus, ac sepultura mortuorum, tanquam sui viventium, gaudetque rebus suis. Sepulchra eorum, domus illorum in aeternum, Plal. 48. num. 12. Vnde mihi persuadeo, haec domicilia Daemonum fuisse impiorum sepulchra.

14.

Septimo. Nimis saevi, & crudeles erant hujusmodi daemoniaci, ut nec catenis, nec compedibus ligari possent, sed semper die, ac nocte erant in monumentis, ut ait D. Marcus, & itinerantes crudeliter invadabant, ut dicat Matthaeus: Vt nemo posset transire per viam illam. Ad quid Daemones habitant in sepulchris? Ad quid a via illa homines arcent, ac fugere faciunt? O Diaboli inventum! O crudelis hostis machera! Sepulchrorum sedem eligit Diabolus, illorumque vias reddit inaccessas, ne quis ad eas accedere audeat, ut ita mortis monumentum ab oculis fu-

Diabolus procurat, ut mortis memoria a mente excidat.

geret, illapsaque ejus memoria a mente excideret.

Alloquitur Diabolus cum Eva. Et primum, quod ei intentat persuadere, ac contra Dei vocem ei mente ingerere, nihil aliud est, nisi: Nequaquam moriemini, Genes. 3. num. 4. Cur ei primum non proponit eminentias excellentias de ligno vetito, quod erunt sicuti Dii: sed ante omnia ait: Nequaquam moriemini; Agnovit vaser inimicus, valde conveniens medium esse ad impellendum hominem in omne peccatum, mortis memoriam ab ejus mente eliminare, & ideo ante omnia hoc aggreditur. Procopius ait. Duo sunt quae nos a malo avellunt, & bono applicant, scilicet promissio, & timor: hinc Deus poenam minit intimavit, & lignum vita promisit; sed Diabolus diversum ingressus est iter, timorem ademit, dicens: Non morte moriemini. Et clarius Thomas Anglicus. Quia homo quandoque vitat peccatum timore poenae; Diabolus excludit timorem mortis, dicens: Nequaquam moriemini.

15.

Genes. 3. Primum Diabolus vult abolere memoriam

Thom. Aug.

QUESTIO III.

Sæva huius Demonis ferocitas ex variis circumstantiis expenditur.

PRIMUM Daemonum crudelitas ex multiplici circumstantia patet. Primo. Quia faciebat, daemoniacos esse nudos, ut ait D. Lucas. Quia, cum daemon sit turpis, & impudicus, delectatur nuditate, quæ est impudicitiae illecebramentum. Vnde Paulus 1. Corinib. 11. num. 6. Mandat velare capita propter bonos, qui pudicitia gaudent. Deinde Diabolus faciebat hominem esse nudum, ut eum gravius lapidibus concideret. Secundò, tam crudelis erat Diabolus, ut daemoniacum in propria domo habitare non permitteret, ut ait D. Marcus, cum enim ex sua domo Diabolus sit relegatus, non patitur quemquam in sua propria habitare. Deinde, quia in domo sua daemoniacus aliquod poterat habere levamen atque remedium, Diabolus autem nullum suis vult concedere. Tandem in civitate erant doctores, a quibus erudiri, & res sacrae quibus adjuvari poterat; Diabolus autem intendat, hominem omnibus destituere.

16. Diabolus gaudet impudicitia.

Diabolus omne a suis tollit levamen.

17. Diabolus licentiosus. Plal. 2.

Qui nullam habet spem, nullum timorem.

18.

Tertio patet ejus crudelitas. Quia Daemon rumpebat catenas, ut ait Marcus. Nam cum Diabolus sit superbissimus, ac licentiosus, liberimus esse cupit, ut est impiorum ingenium, Pl. 2. n. 4. Dirumpamus vincula eorum, & proficiamus a nobis jugum ipsorum. Deinde Diabolus Dei sententia alligatus est perpetuo carceri, catenis, ac tudentibus, 2. Petri 1. num. 4. Apocal. 20. num. 1. Vbi ergo Diabolus videt vincula, & catenas horret, & fugit. Quarto tam ferus erat hic Daemon, ut de uno scribat Marcus: Nullus eum domare poterat. In quo significatur Daemonis obfinitio, cum enim ipse sit damnatus, ac spem de omni bono amissam habeat, nemo eum domare potest, neque ad meliorem viam deducere. Vnde ad compescendum Daemonem nulla humana virtus pertingit, sed sola divina eò pervenit.

Quinto. Concidens se lapidibus, ut de uno ex istis refert Marcus. Crudelis daemon, quod hominem,

nem, in quem se receperat, lapidibus contere, ac vulneraret, ut sanguinem stunderet. Est enim Daemonibus valde gratus sanguis humanus, illi nque sibi præberi desiderant. Et hac de causa idolorum Sacerdotes quando Deos suos placare volebant, ab eisque obtinere petita, effundebant de sanguine suo, ut patet in Sacerdotibus Baal: Incidebant se juxta ritum suum cultus, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine, 3. Regum 18. num. 28. De qua re agit Augustinus 2. & 6. de civitate Dei. Deinde, ut ait Abulensis quast. 102. Deus permisit Daemonibus illud facere, ad ostendendum pravam eorum voluntatem, & ferocitatem contra homines, scilicet quod non misereantur eorum, cum posttati sui traditi sunt, ut per hoc homo illis subici caveat.

3. Reg. 18. Aug. Abulens.

19. Superbia ferri noquit. Eccl. 21.

Tandem dicere possumus, quod in hoc notatur superbia, ac duritia Diaboli, quod nec propriis actibus secti, ac frangi potest. Et ideo Ecclesiasticus 21. num. 11. dicitur. Via peccatorum complanata lapidibus: quia peccatores tanquam lapides obdurati, frangi, ac comminui nolunt.

QUESTIO IV.

Quare isti daemoniaci tam saevi erant, ut non permitterent per viam illam aliquem transire?

RATIO à priori, ob quam unus arreptus plus torqueatur, majoresque exerceat savitias, quàm alius, est Dei permittentis voluntas, ut notat Abulensis q. 100. Moralem verò rationem indagamus, ob quam isti Daemones erant tam saevi, ut non solum ipsos daemoniacos torquerent, sed etiam transeuntes per viam appeterent?

20. Ratio à priori. Abulens.

Hanc rationem colligo primò ex D. Basilio Seleuco orat. 23. Locum verò vicinis inaccessible reddidit, dum hominem contra hominem veluti insanientem Daemon immisit. Multi Daemones, cum expulsi sint à cælo, non statim in abyssum sunt detrusi; sed per aëra ac terrena loca vagantur usque ad diem Iudicii, ut docent D. Athanasius in vita S. Antonii, D. Augustinus lib. 11. de civit. cap. 33. Et tamen tunc Daemones non recludunt vias hominibus, ut cum istis daemoniacis faciebant. Nil ferocius in hominem, quam homo: & non sic crudelis, ac nocivus est Diabolus in homines, ac crudelis, & exitialis invenitur homo: & quod Diabolus per se aggredi non audet, dum tamen saevos homines est natus, tota insania, ac furore debacchatur, ut savitias exerceat, hominique vim salutis impediat, ut statim explicabo.

21. Basil.

Homo in homines crudelior, quàm Diabolus.

22. Chrysol.

Secundò D. P. Petrus Chryzologus ser. 16. Videtur, ait, quia Daemones venientibus ad Christum precluserant viam, transiunt denegarunt: est enim Danorum ista cura, ne ad Deum possint homines redire invenire; non enim aliter possunt homines possidere, nisi eos ab Anteriori sui societate subducant. Hinc est, quod Christus factus est via, ut ad viam per viam, ad Deum per Deum venientibus obstitere vi Daemonum non valeret. Iter illud, quod Daemones impediebant, ut nemo posset

transire per illud, ut existimo, tendebat ad litus studium Daemonis. Impe- dire viam ad salutem at- que ad Chri- stum.

Postquam Iudas suum nefandum scelus commisit: de eo ait Matthæus 26. num. 5. Penitentia ductus retulit triginta argenteos. Sed cum tanta penitentia, qua etiam apud se noluit illos argenteos habere, quid agit: Abiens laqueo se suspendit. Sed quomodo misericordiam non invenit? Diabolus, quem Iudas miserat in cor, ei persuadendo verecundiam, viam interclusit ad magistrum, & patefecit ad lignum in quo rota sua est confecta perfectionis ruina: si enim accessisset ad Deum, sine dubio remedium invenisset, S. Asterius serm. de penitentia. Equidem arbitror, Iudam proditorem nisi sui carnifex fuisset, si ad genua accedens misericordiam deprecatus esset, veniam, qua omni penitentis conceditur, consecuturum fuisse.

23. Matth. 27. Int. reclusio via ad Christum, hominis damnatio.

Asterius.

Matth. 8. n. 29. Et clamaverunt, dicentes: Quid nobis, & tibi Jesu, fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?

VERSIONES.

Syriacus. Venisti huc ante tempus cruciatum nos?

Ethymius. Ut ante tempus affligas nos?

D. Cyprianus. Quid nobis, & tibi, fili David? Quid huc venisti ante tempus punire nos?

D. Athan. de In. Q. xro, ne nos ante tempus torqueas.

ALTER TEXTUS:

Marc. 5. n. 6. Videns autem JESUM à longè, cucurrit, & adoravit eum: & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Jesu fili Dei altissimi; adjuro te per Deum, ne me torqueas.

Lucæ 8. n. 28. Is, ut vidit JESUM, proci- dit ante illum: & exclamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi Jesu fili Dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas.